15.

Sacræ & Serenissimæ R. Mti Vræ Illmus Princeps & Dnus Dnus Georgius Wilhelmus Marchio Brandenburgen in Prussia &c. &c. submissa officia & filialia obsequia sua per nos humillimos Internuncios suos omni observantia animi defert, tanquam cognatus Affinis vicinus & Vasallus fidelissimus. Eaque a Deo Optimo Maximo Sacræ Ræ Mti Vræ ex animo comprecatur, quæ ad vitam longævam & beatam sanitatem integram & omnium rerum prosperrimos successus, salutemque Regnorum suorum pertinent. Non nulla vero nobis in mandatis dedit Sacræ R. Mti Vræ suo nomine, ea qua par est reverentia proponenda. Quod nunc facere parati sumus. si id S. R. Mti Vræ lectis hisce fidei Lris suæ cels. quas Sacræ R. Mti Vræ humillime offerimus benigne permiserit.

Præmissis præmittendis
Serenissime Rex

Si quod unquam Regnum Principatus, Respub. multorum vicinorum & exterarum nationum variis necessitudinum vinculis abundavit: Sane inclytum hoc Poloniæ Regnum hac felicitatis parte cætera omnia antecellere quovis tempore visum fuit. Etenim non tantum Germanici Imperii Atque eiusque præcipua membra Illmos Principes, sed & reliqua omnia florentissima Europæ & Asiæ tam Christiani nominis quam aliorum Regna partim arctissimis foederibus, partim sanguinis & connubiorum ligamentis, partim clientelarum nexibus, partim sceptri etiam coniunctione complexum sibi diu devincta tenuit, tenetque. Ex quibus quidem rivulis magna pars eius, quicquid videmus incrementi splendoris & ubertatis, eidem inclyto huic Regno affluit, licet ex remotiori hac coeli plaga, in altissimam terrarum lucem ascendens ad multorum Regnorum paritatem supra plurimum quidem eminentia caput extulerit, felicissime huiusque vigeat & floreat. Cum contra aliæ gentes quibus contraria sors aut studia fuere non eam rerum & fortunarum suarum efflorescentiam, non illud robur & fortitudinem experirentur. Ea siquidem e rerum humanarum conditio ut nihil in iis existat tam firmum

6.

Fol. ... Kurf. of Brandenburg ... Sigismund

aut stabile, quod propria quamvis potentissima virtute sine societate alicuius & coniunctionis adminiculo satis constanter nisi persistere queat. Ideo summi quiq Monarchae & illud ipsum maximum in humanis miraculum Respub. Romana foederibus sociorum, quibus etiam hostes debellatos reddita ijs libertate sibi obstrinxerunt, imprimis semper studuerunt. Hoc igr optime intelligens S. R. M. Vra pristinam quasi hanc huius Regni felicitatem & praeclara majorum suorum exempla secuta propriaq qua huius temporis omnes Reges antecellit longe regnandi peritia ducta id sedulo semper egit, ut antiqua Regni foedera & necessitudine renovaret. & tueretur, novaq insuper adderet ac magnis beneficijs amicos & clientes sibi adsciseeret eosq qui digni ijs essent conservaret. Si cum S. R. M. Vra in annalibus Serenissimorum Praedecessorum suorum Regum Poloniae re; periret nulla Principum prosapiam, nullam nationem majoribus & arctioribus vinculis sanguinis foederum beneficiorum Regijs stirpibus & ipsi Regno huic adstrictam unquam fuisse, quam Illmam Domum Brandenburgicam, nullum etiam Principem, nullum populum vicinum & remotum constantius & sanctius foedera ista conservasse, quam Illmos istos Marchiones, voluit S. R. Mtas Vra sapientissimo Ordinum consilio antiquam Domus illius coniunctionem recenti foedere corroborare, illamq tam praeclaram necessitudinem, quae iam temporum deliquio, & naturae sterilitate emori quasi videbatur, renovato amplissimo beneficio florentioribus ramis Brandenburgicae stirpis inserere & ad posteritatem transmittere. Idcirco S. R. M. Vra Prussiae Ducatum Illmo Principi Dno Johanni Sigismundo Electori laudatissimae memoriae eiusq Illmis fratribus Marchionibus infeudum solenni investitura paucos ante annos benignissime concessit. Ut eo scilicet nexu indissolubili tantum illa Domus Brandenburgici Electoratus in fidem & observantiam sed & totum Germanici Imperij Augustissimum corpus in amicitiam & adminiculum perpetuum Serenae huic Domui Regiae & Inclyto huic Regno obligaretur ipseq adeo Ducatus cum Regno hoc arctius & firmius coalesceret,

fructusq uberiores & suaviores eidem ferret. Et hos quidem fructus gnaviter
praestitit Illmus ille Princeps omnesq officij sui partes fideliter adimplevit dum vita
viresq suppeterent. Quo sese & posteros dignos tanto beneficio & amore S. R.
M. Vrae reddidit, suamq Domum maiori laude & subsidio cumulavit. Cum vero
e vita hac communi mortalium lege & Dei voluntate non ita pridem vocaretur hac
saltem parte quasi non mori visus e, quod filium feudorum suorum successorem se,
arumq virtutum & imprimis fidei & reverentia erga S. R. Mtem Vram Regnum
hoc haereditarium relinqueret. Is nunc contignis ad imperandum dotibus instructus,
studio & observantia erga S. R. Mtem Vram flagrans nihil antiquius, nihil san,
ctius habet, quam ut majorum suorum vestigijs inhaerens omnia fidelis gratiq
Principis Vasalli munia exequatur: Pactorumq imprimis, quae cum S. R. Mte
Vra Regnoq hoc inclyto. Illma sui Domus intercedunt, accuratissimum se se ob,
servatorem praestet. Eaq quae ab Illmis Maioribus & Parentibus suis constanter
in Sermos Reges & Rempub. hanc fide & officijs parta sunt, ipse ijsdem artibus
tueatur, & ad posteros suos transmittat. Istorum autem officiorum
sua ~~celis~~ Cels. cum potissimum primarumq hoc sit, ut postquam decessu Illmi
Parentis sui eximium illud beneficium S. R. Mtis Vrae & Regni huius, Prussiae
nempe Ducatus vigore dictorum pactorum ad suam Cels. iam devolutum e,
Eius authorem S. R. Mtem Vram Regnumq reverenter agnoscat, & humili
solennique actu eidem id publice acceptum ferat, ipseq tandem suam consuetam
investitura à S. R. Mte Vra Dnum in isto Ducatu profiteatur.
Quapropter nunc à S. R. Mte Vra per nos humilimos Internuncios
suos ea qua potest reverentia & humili studio petit, dignetur S. R. M.
Vra pro innata benignitate, & antiqua sua in Illmam Domum Brandeb.
gratia ac paterno in ipsam suam Cels. affectu, tempus locumq S. R. M.
Vra commodum suae Cels. praefigere, quo coram S. R. Mte Vra se se
personaliter sistere debitumq secundum pacta Homagium eidem per,
solvere ac desideratam Investituram ab ea per observanter rogare &
impetrare queat. Quo facto sua Cels. ad reliqua omnia quae & gra,

gratissima animi officia, & dicta pacta requirunt, quoq; vincta sibi foventque cultum S. R. M^tis V^ræ & Inclyti huius Regni devotio suam Cels. ducit ipsa accurate praescandere se se alacritor acciperet, eaq; ad ultimum vitæ Spiritum sedulo prosequetur. Interim ut S. R. M^tas V^ra omnia & singula in eo quo nunc sunt statu intacta & illibata relinqui, Iusq; sua Cels. in isto Ducatu integrum salvum & inlaesum in omnibus conservari, & exercitium titulumq; Iurisdictionis a sua Cels. usurpari jubeat, submissis precibus sua Cels. rogat. Siquid vero eiusmodi forte temporum vitio irrepserit, quod alicui in Ducatu isto grave & minus consonum videatur, id sua Cels. aequissimo examine trutinatum, sese correcturam & exacte sanaturam, sancte pollicetur, subditos praeterea & incolas Provinciae illius fideles omnes & singulos, non Principis tantum iusti & clementis, sed etiam Paterno affectu pariter complecti, & aequo benignoq; regimine fovere nunquam desinet. ~~[illegible]~~

Haec Oratio habita ē ad Serenissimum
ac Potentissimum Principem D.D. Sigismundum
Tertium Regem Poloniae, Magnum Du-
cem Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae,
Samogitiae, Livoniaeq. Nec non Suecor.
Gothorum Vandalorumq. Regem Haere-
ditarium, a Gresis Internuntiis
Illmi Principis Domini Dni Georgii
Wilhelmi Marchionis Brandenburgici
in Prussia &c. & Elech. [illegible]

Ab Andrea Gaskio
Cancell.